



Universitätsbibliothek Paderborn

**Venerabilis Thomæ A Kempis Can. Reg. S. Augustini. De
Imitatione Christi Libri Quatuor**


Thomas <von Kempen>

Augustæ Vindel., 1772

Caput I. De Imitatione Christi, & contemptu omnium vanitatum mundi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45780](#)

DE
IMITATIONE
CHRISTI.



LIBER PRIMUS.

*Admonitiones ad spiritualem vi-
tam utiles.*

CAPUT I.

*De Imitatione Christi, & contemptu
omnium vanitatum mundi.*

Qui sequitur me, non ambulat in tenebris; dicit Dominus. Hæc sunt verba Christi, quibus admonemur, quatenus vitam ejus & mores imitemur, si velimus veraciter illuminari, & ab omni cœcitate cordis liberari.

A 2

Sum-

4 *De Imitatione Christi*

Summum igitur studium nostrum
fit, in vita Jesu Christi meditari.

2. Doctrina Christi omnes doctrinas
Sanctorum præcellit: & qui spi-
ritum haberet, absconditum ibi man-
na inveniret.

Sed contingit, quod multi ex fre-
quenti auditu Evangelii parvum de-
siderium sentiunt: quia spiritum Chri-
sti non habent.

Qui autem vult plene & sapide
Christi verba intelligere: oportet, ut
totam vitam suam illi studeat con-
formare.

3. Quid prodest tibi alta de Trini-
tate disputare, si careas humilitate,
unde displiceas Trinitati?

Vere alta verba non faciunt san-
ctum & justum: sed virtuosa vita
efficit Deo charum.

Opto magis sentire compunctionem,
quam scire ejus definitionem.

Si scires totam Bibliam exterius,
& omnium Philosophorum dicta: quid
prodesse sine charitate Dei & gratia?

IV-

Vanitas vanitatum, & omnia vanitas, præter amare Deum, & illi soli servire.

Ista est summa sapientia, per contemptum mundi tendere ad regna cœlestia.

4. Vanitas igitur est, divitias perituras quærere, & in illis sperare.

Vanitas quoque est, honores ambire, & in altum statum se extollere.

Vanitas est, carnis desideria sequi: & illud desiderare, unde postmodum graviter oportet puniri.

Vanitas est, longam vitam optare, & de bona vita parum curare.

Vanitas est, præsentem vitam solum attendere: & quæ futura sunt, non prævidere.

Vanitas est, diligere, quod cum omni celeritate transit: & illuc non festinare, ubi sempiternum gaudium manet.

5. Memento illius frequenter proverbii: *quia non satiatur oculus visu, nec auris impletur auditu.*

6 *De Imitatione Christi*

Stāde ergo cor tuum ab amore vi-
sibilium abstrahere, & ad invisibilia
te transferre. Nam sequentes suam
sensualitatem maculant conscientiam,
& perdunt Dei gratiam.

CAPUT II.

De humili sentire sui ipsius.

I. **O**mnis homo naturaliter scire de-
siderat; sed scientia sine ti-
more Dei quid importat?

Melior est profecto humilis rusti-
cus, qui Deo servit, quam superbus
Philosophus, qui se neglecto cursum
cœli considerat.

Qui bene seipsum cognoscit, sibi
ipsi vilescit, nec laudibus delectatur
humanis.

Si scirem omnia, quæ in mundo
sunt, & non essem in charitate, quid
me juvaret coram Deo, qui me judi-
caturus est ex facto?

2. Quiesce a nimio sciendi deside-
rio: quia magna ibi invenitur distra-
ctio, & deceptio.

Scien-